









1703.

1. Abicht, Jo. Georg : De moralitate homagii regii  
invasori praestati.
2. Alberki, Joh. Volleb : De jure ecclesiarum circa  
temporalia
3. Bejerus, Georgius : De hodierna laborum et curato.  
rum minoribus datorum differentia.
4. Boneck, Benjamin Volleb : De donationibus, quae  
fiunt inter conjuges bonorum causa occasione (ges  
42 ff. d. donat. int. vir. et. uxor.)
5. Fülleus, Daniel : De Foanne Phazio, Asti-  
Campsauro.
6. Guelgus, Guap. Christianus : De aequitate juris  
Inbeceris.
7. Grotius, Michael Maurus : De fiduciariae manuum  
apud Romanos sine curatore contrahentibus
8. Grotius, Mich. Maur : De praesidio tertii ex  
hypotheca rei immobilis extrajudiciali.

1703.

9. Hauschius, Michael Puccius: De punctis moralibus. 16
- 10<sup>ast</sup> Honninius, Jo. Friedr: De eo, quod Directo  
non licet, licet tamen per indirectum. 25 sept. 17
- 1703 - 1747.
11. Lemchen, Guillielm Augustus: De precis viduarum. 18
12. Itzigius, Gottfriedus Nicolaus: De clerici foro  
seculari. 19
- 13<sup>ast</sup> Trause, Joh. Henr: De potestate eligendi  
imperatores et solos Electores restricta. 25 sept.
- 1703 - 1756
14. Louge, Martinus: De obligatione relinquenda  
vivi et sustinentes penes jure et divinis  
et humanis prescriptis. 21
15. Louge, Martinus: De praenati conceptibus affir-  
matis liberati. 25

1703.

16. Menckerus, Ludovicus: De tutore et curatore  
et usuras ex suo debito usurarum obligato.
17. Menckerus, Ludovicus: De principe huius causae  
haereditatis institutio.
18. Menckerus, Ludovicus: De omnia proclamatione  
sacerdotali.
19. Menckerus, Ludovicus: De insidiis vasalli in Jouis-  
nikum.
20. Menckerus, Ludovicus: Juris controversiarum theoretica  
practica decas.
21. Menckerus, Ludovicus: De jure disponendi filii-  
familias, religionis protestantium astricti, circa  
canonicatum.
22. Menckerus, Ludovicus: De prima imperii inter homines  
us origines.
23. Menckerus, Ludovicus: Selectae forei concordantiae  
Lionis.





LUCUBRATIONES HISTORICÆ

De

POTESTATE ELI-  
GENDI IMPERATOREM  
AD SOLOS ELECTO-  
RES RESTRICTA,

Quas

Auspicante Divino Numine,  
Indulgente Amplissima Facultate Philosophica  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. 28. Febr. MDCCIII.

Sub PRÆSIDIO

M. JOH. HENR. *Rausens* /  
Margl. Luf.

Civis ac Fautoris sui honoratissimi,  
Eruditorum ventilationi  
sistit

*Heinrich Günther* / Margl. Luf.

L I P S I Æ,

Recusa Typis Joh. Christoph. BRANDENBURGERI.

18.

POTESTATE  
GENERALI  
AD VICE  
RECTORI

Audientia  
in  
SALA  
MAGNIFICA

IN  
CIVITATE  
MAGNIFICA



a & w.  
TABULA.

Universam Dissertationis Oeconomiam exhibens.

Germani fortes quidem, sed illiterati fuerunt. §. 1. 2.	Hinc exclusi fuerunt urbes atque Nobiles §. 25. 26. 27.
Quod obscuram non raro facit eorum Historiam. §. 3.	Episcopi atque Prælati. §. 28.
Exemplo est Historia Electorum §. 4.	Reliqui Principes. §. seqq.
Quorum investigatur Paronymia. §. 6.	Altera restrictæ ad solos Electores eligendi potestatis causa est, quod hi Archiofficiis hæreditario jure sibi vindicatis Prærogativam affectaverint. §. 29. 34.
Resutantur, qui Pontificibus & Imp. eorum Constitutionem adscribunt. §. 7 8. 9.	Describuntur Archiofficia. §. 30. 31. 32. seq.
Tacito consensu eos involuisse asseritur. §. 10. 11.	Ante Interregnum Electores soli locum non obtinuerunt. §. 35. seqq.
Carolingorum temporibus imperium hæreditarium fuisse probatur. §. 12.	Sed Interregni demum temporibus. §. 37.
Origo Statuum Imperii investigatur. §. 13. 14. 15.	Confirmarunt suam dignitatem obli-gando sibi Imp. §. 38.
Ottonum temporibus Imperium fuit electitium. §. 16.	Prohibendo successionem §. 38. 39.
Omnia Imperii membra electioni inter-fuerunt. §. 17.	Exautorando Imp. §. 39.
Prima v. restrictæ ad Electores eligen-di potestatis causa fuit multitudo eligentium. §. 19. seqq.	Donec A. B. confirmati fuerint. §. 40.
	Conclusio. §. 41.

§. I.

**Q**uod Muretus olim in Oratione pro Sigismundo Augusto ad Pium V. P. M. de Polonorum gente prædicavit, id de Germanis quoque cæterisque Nationibus in Septentrionem paulo longius recedentibus, asseri posse constat: *Eas nimirum semper in præclaris rebus gerendis, quam in iis, quas gessissent, memorie prodendis fuisse occupatiores. semperq. Majorum virtutem imitari, quam celebrare gloriosius duxisse.*

§. II. Ignoraremus Ariovistum, nisi ipse Cæsar in suis, quos de B. G. conscripsit, Commentariis ejus fecisset mentionem. Eodem cum

cum corpore fato interiisset quoque memoria Arminii, nisi Suetonius, Tacitus, alique rerum Romanarum prædicatores velut pertransennam ejus virtutem suæ interuissent Historia.

§. II. Ex quibus facile patescit, quantum vitii contraxerit rerum Germanicarum Historia, quantis errorum fabularumque nebulis in gloriosissimæ Nationis ignominiam magna ex parte fuerit obfuscata: Ut non illos tantum, qui primis, quod dicitur, labris Historiam degustant, verum etiam eos, qui interiora ejus monumenta paulo curatius rimati sunt, cum tenebris & tortuosis viarum flexibus hinc & inde videamus luctari.

§. IV. Huic igitur tristi funestoque fato Electorum quoque succubuit Historia, quippe de quorum Ortu inter Eruditos tantum extitit certamen, quod nisi accuratius Historiæ studium fopire nititur, eundem cum consummatione Seculi minatur terminum,

§. V. Quæ cum ita sint, non movebit cordatum quemque Lectorem nostrum institutum. Cum enim in omni eruditione apodictica, aut, si ea desint, probabilia regnent principia, ex illa Disciplina, quam vocata in litem quæstio nativam veneratur sedem, deducta: deprehendi facile poterit, nostras meditationes, ex Historiarum lectione natas, in quærendo de Electorum Origine fundamento, fundamento suo non destitui.

§. VI. Nunc ab ovo quidem, h. e. à Paronymia, quæque ipsam comitantur, Homonymia atque Synonymia ordiendum esset; sed quis ignorat, quid per potestatem eligendi intelligatur? Et cum facile appareat, Electores ab eligendo descendere, cumque multo minus Germanicæ vocis originem ignoremus, quibus in Saxonia vocabula ista, *erföhren/ auserföhren* &c. sunt familiaria, animus nobis non est, ejusmodi tritice otiosè inharere.

§. VII. Ante vero, quam ad ipsum me accingam institutum, non possum non, quin varias varie sentientium meditationes adducam. Primum illi prodeant, qui ignorantia scopulis allisi, ad Carolum M. usque rejiciuntur, commiseratione potius, quam operosa refutatione digni. Alterum ab his locum occupent, ad Ortonum  
tem-

tempora regredientes, qui vero pro partium studio in duas sese locant acies, & armis strenue collatis, pro vana atque omni fundamento utraque ex parte destituta sententia tanquam pro aris & focus inter se digladiantur; aliis sub Pontificum, aliis sub Imperatorum vexillo stipendia merentibus.

§. VIII. Utrique rursus in diversa abeunt. Baronius enim, & qui sponte in ejus castra transit, Bellarminus, bellicosa apud Pontificios nomina, Gregorium V. qui Anno 996. floruit, omnibus in universum Proceribus facultatem eligendi dedisse somniant, quam Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Anno 1245. ad septenarium personarum numerum restrinxisset; aliis Gregorio X. Anno 1271. florenti id ipsum adscribentibus. Ast horum opes præter *Conringium*, Excell. Menckenius in *Dissert. de Electorum Origin. Lips. Anno 1674. ad Excurs. Baron. habitata*, penitus attrivit. Sic & illi, qui Imperatorum partes tuentur, immane quantum discrepant. Ut enim illos taceam, qui pro Conrado I. Henrico Aucupe, Ottone I. & Ottone II. pugnant; parum absuit, quin Otto III. superior discederet. Expresse enim asserit *Conringius in Dissert. de Elect. §. 23. quod communis & constans per duo secula, & quod excurrit. ab Anno videlicet 1250. ad Annum circiter 1500. opinio fuisset, ab Ottonis III. constitutione originem trahere Electores.* Quæ sententia ab Onuphrio Panvinio aliisque concussa, corrui. Ottonem IV. in aream quoque productum fuisse Goldastus in causa est, qui, quod ipse ingenue fatetur, deceptus fuit Constitutione, cujus falsitatem præter alios *Schwederus in Introd. in F. P. Imp. Romano-Germ. Part. Special. Sect. II. cap. II. §. 2. ostendit.*

§. IX. Reliquos ut supprimam, ipsa eorundem multitudo suadet, cum à Conrado I. usque ad Frid. II. paucos B. L. deprehendet Imperatores, qui non unum vel alterum nacti fuissent Patronum, Electorum constitutionem ipsis adscribentem. Hoc unicum tantum addam: neque Imperatoribus neque Pontificibus per statum istorum temporum licuisse, exclusis reliquis, septem Principes ad tantum fortunæ culmen evehere. Ad hos enim, qui nihil prius unquam habuerunt, quam ut excitarent, alerent, & subinde augerent fa-

ctiones in Germania, plus detrimenti, quam emolumenti ex Electo-  
rum Constitutione redundasset; illis vero, qui & externis exerce-  
bantur bellis, & internis fatigabantur dissidiis, ne cogitare quidem  
in his rerum turbis de ejusmodi Constitutione licuit.

§. X. Cum ergo discussis Seculorum barbaricorum tenebris,  
Historia quoque, ut paulo serius, in lucem publicam rediret, a-  
pud omnes fere, Pontificios si demas, opinio ista de Electoribus, aut  
à Pontifice, aut ab Imperatore quodam institutis, evanuit. Puta-  
bant enim, tacito potius consensu Principum, & interveniente lon-  
gi temporis tractu Electores invaluisse.

§. XI. Primus fere, quod scio, qui, rejectis opinionum supe-  
riorum monstris ad Historiam magis respexit, est *Georgius Schön-  
borner*, Politicus ac Historicus non obscuri nominis in *Politic. lib. V.  
cap. 32.* quem deinceps Historici æque ac Juris Publici Interpretes sti-  
pato agmine sequuti sunt. Operæ pretium verum me facturum esse  
persuasus sum, si, vocata in auxilium Historia, rerumq; ab Imperat-  
gestarum facie à Carolo M. usque ad Car. IV. A. B. Conditorem cu-  
rarius paulo inquirerem, qua ratione *Jus eligendi Imperatorem in solos  
Electores* transferit.

§. XII. Primum constat: Carolum M. non solum Regnum  
Francicum hæreditario jure possedisse, verum etiam acquisitas bello  
Provincias, Germaniam, aut si mavis Saxoniam, Regnum Longo-  
bardicum & exiguas Imperii Occidentalis reliquias una cum Im-  
peratoris Occidentalis axiomate posteris suis hæreditario jure reli-  
quisse: non ex illa solummodo ratione, quam *Conringius c. I. §. 12.*  
adducit; *Ad Carolum dignitatem Imperatoriam eo modo transisse, quo  
illam tenuerunt Imp. Constantinopolitani, cum in eorum jura succes-  
sisset Carolus, jam vero certum esse, eos dignitate gavisos fuisse hæredi-  
taria, quare & talem in Carolum translatam esse concludit;* verum  
etiam exinde, quod reliquiæ illæ Imperii Occidentalis ratione  
Imperatorum Constantinopolitanorum pro derelictis quasi sunt  
habendæ, quibus in extremo discrimine constitutis, & suorum Do-  
minorum auxilium frustra implorantibus succurrit Carolus, atque  
ita

ita vi armorum liberum sibi jus in eas acquisivit. Confer. Anastasius in Gregorio II. & Conringius Disp. de Septem-viratu §. 7.

§. XIII. Cum vero Carolus M. non omni ex parte pacatas, & longe lateq; disitas possideret Provincias, Præsides iis, inprimis Germaniæ constituit, partim ut feroces gentes mitioribus subinde ingeniis eo felicius imbuerentur; partim ut suorum cicatrices atque vulnera, in tot tamque atrocibus bellis pro salute sua accepta, novis hisce honoribus compensaret.

§. XIV. Qualem hi Germaniæ Præsides habuerint potestatem, quo ornati sint axiomate, quænam inter ipsos fuerit differentia? nostrarum partium hic non est, curiosius inquirere; remittimus B. L. ad *Serwerinum de Monzambano in Lib. de Stat. Imp. Rom. c. III. de Orig. Stat. Imp.* atque etiam ad alios, qui fusius de iis quæstionibus egerunt.

§. XV. Cum igitur Caroli M. posteritas, crebris Provinciarum divisionibus irretita, assuetam barbarorum cladibus dextram in propria converteret viscera: incipiebant sensim Præsides Provincias suæ fidei commissas hæreditario jure ad posteros transmittere, fœdera inire, arma parare, milites conscribere, motus civiles suis machinationibus prætendentes. Id quod latius deduxit Celeberrim. Schurzfleisius *Disput. de Divisione Imperii Carolini §. 32. sq.* Maxime vero augebant potentiam suam Proceres, cum Reges, quos habuerant hæctenus, extincto Anno 879. Ludovico III. f. Balbo ad Imperatoriam aspirarent dignitatem. Cum enim Carolus III. f. Crassus Rex Germ. Ital. & Imp. Rom. tutelam Caroli Simplicis, Galliarum Regis, ephebis nondum egressi, insuper susciperet, paucis etiam præterlapsis annis procul dubio technis Arnolphi in miserriam detruderetur fortunam; Arnolphi ipse in sedendis Italiæ motibus sudaret, & tandem filium, septem tantummodo annorum relinqueret; larga ipsis affulgebat occasio, dignitatem & potestatem suam altius evehendi. Nec eos fortunam suam temere dimisisse, vel exinde patet, quod mortuo Anno 912. Ludovico IV. ultimo Lineæ Carolingico-Germanicæ, res suas jam eo deduxerant: ut exclusa Linea Carolingico-Gallica, liberam electionem instituerent, atq; ex suo ordine, Ottone, Duce Saxonie senium præ-

ten-

ten dente, Conradum I. Ducem Franconia: Imperatorio Axiomate ornarent,

§. XVI. Duæ hic ventilationi nostræ se submitunt quæstiones: *Primo*, an primis hisce temporibus Imperium fuerit hæreditarium, an mixtum ex hæreditario & electio, an vero liberæ electionis? Nos ultimam defendimus sententiam, & autoritate, & multo magis rationibus subacti. Testatur enim *Luitprandus l. 7. c. 7.* Conradum in extremo mortis agone ita allocutum fuisse Proceres: *Henricum, Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum eligite Regem, constituite Dominum. Is enim est & scientia pollens & justæ Severitatis censura abundans, cui ut obediatis, non tantum consulo, sed & oro.* Expresse quoque legimus in *Contin. Rbeioniana ad Annum 961.* Ottonem II. consensu & unanimitate Procerum totiusque populi, Patre adhuc vivente electum fuisse, imo hanc electionem, ut *Witi-chindus l. 3.* memorat, post patris obitum ab integro populo repetitam fuisse, citante *Mencken. l. c. §. 11.* Nec credibile est, ultro decedisse jure suo Germanos, libertatis tantique Privilegii tenaces, neque afferre possunt adversæ sententiæ Patroni aliam ex Historia causam, nisi continuam successionem (quam hac in re nihil probare, vel ex hodierna, qua Domus Austriaca gaudet, succedendi felicitate patet,) atque Constitutiones quasdam vanas, nulloque funtamento superstructas.

§. XVII. Altera, qua hic exurgit, quæstio est: An omnia Imperii membra electioni interfuerint? Affirmamus, & ad autoritatem & ad rationes provocantes. Quod ad prius attinet, ablegabo B. L. ad *Conringium c. 1. §. 22.* & ad §. *preced. Disp. nostræ.* Eam vero tum temporis rerum fuisse faciem: ut neque ausi fuerint singuli, utut potentiores, jus eligendi Imperatorem sibi vindicare; neque reliqui, utut inferiores viribus absque turbis cessissent, luce meridiana clarius esse reor.

§. XVIII. Ignoscat B. quisque L. omnia, prout decet, à capite altius deducenti, neque ægre ferat brevem hanc, & ni fallor, moram haud intempestivā, & ad calcem nunc tendenti ma uneproficiam

Nos



Nos enim jacto huic fundamento nostras de eligendi potestate ab omnibus ad paucos translata meditationes eo feliciter superstructuros confidimus.

§. XIX. Primam igitur hujus translationis causam, quam Historia suppeditat, suspicor esse ipsos Imperii Status, in nimiam multitudinem excrecentes.

§. XX. Inveterata erat apud Germanos consuetudo, à Francis in ipsos derivata, ut relicta hereditate Provincia in tot dilacerarentur partes, quot relictorum liberorum numero sufficerent, æquitatem huic facto prætendentes. Id quod tamen non ita velim accipi, ac si plane friguisset apud eos Jus Primogenituræ: siquidem & hoc custodiendum putabant, quanquam non tam sollicitè, quam quidem accedente status ratione hodiernum observamus.

§. XXI. A Francis profectum fuisse huncce morem, certum est. Ut enim de Linea Merovingica, Regnum in duas, tres, imo & quatuor partes pro filiorum numero discerpente, sileam, quis ignorat, exitium sibi contraxisse posteritatem Carolingicam crebris suis inter filios factis divisionibus? Horum itaque exemplis subacti, & æquitate, quam ante omnia sollicitè custodiendam esse putabant, moti in eandem cæco impetu ruebant summas quasque familias everteendi consuetudinem.

§. XXII. Statuum Imperii nomine veniunt etiam Episcopi atque Prælati. Quos prout Caroli M. temporibus exposcebat paganismi tenebris involuta Natio, ita subsequentibus temporibus partim Imperatorum religiosa dicam, an superstitiosa pietate; partim Pontificum, præpotentes & magnas in Imperio factiones ambientium technis in tantam excreverunt multitudinem: ut Secularibus Statibus palmam si non præripere, dubiam tamen reddere viderentur.

§. XXIII. Reliqui, quantum aucti fuerint, res ipsa loquitur! Imperatores enim bellis civilibus & externis distracti, non poterant non immunitatem atque libertatem concedere optime de rebus suis demerentibus.

B

§. XXIV.

§. XXIV. Ex quibus facile potest confici, quantum turbarum excitatum fuerit in Electione novi Imperatoris, accedentibus insuper Pontificum machinationibus: ita, ut tantorum, quæ perferenda ipsis erant, incommodorum pertasi, ipsi cogitare inciperent, quæ ratione eligendi potestas ad arctiorem numerum restringi posset.

§. XXV. Dubitandum non est, primo suis suffragiis in Electione novi Imperatoris excidisse infra fortunam Principum constituta Imperii Membra, Nobiles atque Urbes. Quamvis enim sint, qui suffragia ipsis plane denegant, non possum tamen adeo facile accedere nullis rationibus munitis, & solis conjecturis præfracte insistere.

§. XXVI. Ad urbes quod attinet, docent Historiarum monumenta, eas & succrevisse Imperatorum auspiciis, & rursus decrevisse. Cum hi enim partim sua in sacrum ordinem reverentia inducti, partim status ratione moti, Episcopis atque Prælatibus magnum earum numerum concederent, *vid. Conring. in Dissert. de Urbib. Germ. §. 115. seqq.* nec pauca in Ducum atque Comitum potestatem descenderent, *vid. ibid. n. 8.* facile conjecturare possumus, eas una cum aliis Privilegiis amisisse quoque solitum in Electione novi cujusque Imperatoris suffragium. Audiamus ipsum *Conringium l. c. §. 119.* ita de his urbium fati differentem: *Eo usque & largitionibus illis & negligentia Regum, maxime accedentibus immanibus illis turbis ab Henrico IV. evo, & paulatim magis magisque imminuta regis vi & auctoritate, tandem perventum: ut pene omnium urbium Germanicarum summa juris dictio cum omnibus fisci juribus, privatorum, Ducum, Comitum, Episcoporum, Monasteriorum possessio hodie censeatur.* Et paulo post: *Id certum, paucas oppido urbes hanc conditionem effugisse, puto forte Aquisgranum, Francofurtum ad Moenum, Goslarium, Northusam, Molhusium, & si quæ sunt alia.* Et quamvis non negandum sit, novas subinde emeruisse urbes liberas, admittæ tamen non fuerunt ad Privilegium, in defuetudinem abire coactum.

§. XXVII. De Nobilitate, libero Electionis suffragio orbata  
par

par constat ratio. Cum enim Principes, ut §. 21. seqq. demonstratum fuit, ipsis numero fere pares evaderent, viribus autem & dignitate superiores essent, non poterant deprecari fatum, cui urbes, prout dixi, succubuerant.

§. XXIIII. Nunc videamus etiam, qua ratione Episcopis atque Prælati vota in Electione fuerint præclusa. Quemadmodum non parum Pontificis intererat, quam plurimos Electioni interesse Episcopos, factiones ejus sacris suis humeris sustentantes: ita excidisse votis suis Prælatos, nemo alius in causa fuit, quam hi ipsi putatitii rerum sacrarum Dictatores. Cum enim Hildebrandus s. Gregorius VII. detestandum Imperio Germanico nomen, quid valeret rabies hominis, inferorum sedibus exciti, in Henrico IV. Imp. experiretur; cum Calixtus II. Investituram Episcoporum Henrico V. extorquens, Imperio dextrum amputaret brachium; reliqui vero in factionibus Guelforum & Gibellinorum haud obscura ederent indicia, se cum Caligula unam tantum Imperio optare cervicem, uno ictu eo facilius amputandam: aperiebant tandem Principes ad nefanda hæc molimina torpentes oculos, & arcebant Romanæ sedis asseclas paulatim ab Electionibus, quas tanto ausu tenus hac turbaverant.

§. XXIX. Quod tandem Principes jus suum in solos Electores passi fuerint transire, procedit, me judice, potissimum ab Augustis illis officiis, hodie *die Erz- und Chur-Wemter* / quorum beneficio Principes, qui illis fungebantur, in Electione, exclusis cæteris, soli locum & prærogativam obtinebant.

§. XXX. Quando hæc officia invaluerint, ab Historicis æque ac J. P. Doctoribus nondum ad liquidum perductum est. Quamvis enim non dissentiam ab iis, qui Carolingorum temporibus ista deducunt, asserere tamen nullus dubito, etiam apud antiquiores Francos, puto lineam Merovingicam, extare horum Officiorum vestigia, ut tunc temporis neque potestate, neque dignitate cum his essent conferenda. Quod cum hic fusius tractari per institutum nostrum non liceat, alii, si quæ affullerit, occasione relinquimus.

§. XXXI. Ambulatorias ab initio fuisse Dignitates, quas bene meritis conferre soliti fuerunt Imperatores, nemo nisi hospes in his temere negaverit, Vid. Lehmannum Lib. II, Chron. Spirens., Conringium Dissertat. de Officialibus Imperii, Goldast. de Bohem. l. 3. c. 8. Extincto autem Carolingorum Imperio ad certas familias astringi cœperunt, Quales in Coronatione Ottonis M. hac dignitate eminu-erint, *Witichindus lib. II, de Rebus gestis Saxon. atq. Otton. citante Conringio in Dissert. de El. §. 49.* ostendit: *Divina deinde laude dicta, sacrificioque sollemniter celebrato, descendebat Rex ad palatium, & accedens ad mensam marmoream, regio apparatu ornatam, resedit cum Pontificibus & omni populo, Duces vero ministrabant. Lothariorum Dux, Gisilbertus, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhardus mensæ præerat, Herimannus Francus Pincernis, Arnulphus equestri ordini & eligendis locandisque castris præerat.*

§. XXXII, Cum vero subsequenter temporibus hæc officia in potentissimorum Principum devenirent manus, fixam atque stabilem adepti fuerunt sedem: quod pro gemina Statuum conditione duplici modo accidisse autumo. Nec enim Seculares eadem via ad sua pervenisse officia certum est, quæ patuit Ecclesiasticis. Hos enim speciali privilegio ab Imperatoribus, utut diverso tempore, Officiis suis admotos fuisse constat. Quod Archiepiscopus Moguntinus ab ipso jam Ottone I. dignitatem Archi-Cancellarii per Germaniam obrinuerit, *Schwederus l. c. part. spec. Sect. I. c. 8.* contra secus sentientes egregie affirmat. Afferit enim extare specialia in Tabulario Moguntino Privilegia de expressa sedi Moguntinæ collata Archi-Cancellariatus hujus dignitate, provocatque in simul ad Magnificum Dominum *Spenerum* specialiter, ut ipse loquitur, de hoc edoctum, *ejusque Op. Herald. Lib. I. c. 64. §. 17.* Nec obstat, incertos esse Historicos, quo tempore Archi-Episcopi Colonienfis & Trevirensis ad suos adspiraverint Archi-Cancellariatus, fatente *Bœclero Notit. Imper. Lib. 6. c. 6.* Obrinuerunt eos eodem jure hæreditario, utut paulo serius,

serius, quod & Imperatorum in hos Præsules pietas, & singularis, quam habebant, prudentiæ opinio evincit. Cum enim in Seculis istis Barbaricis Eruditio extra sacrum ordinem nigro cygno essent similia, non poterant non Imperatores hæc officia ejusmodi personis hæreditario jure committere, quæ præ cæteris & eruditione & prudentia eminebant, & quarum sacra dignitas similes spondebat successores.

§. XXXIII. Qua vero ratione Seculares Principes sua officia fuerint adepti, & quomodo tandem hæreditario jure ea suis ditionibus annexa ad posteros transmiserint, omnium optime, quos legi, depinxit Dominus Coccejus in sua J. P. prudentia per totum Cap. XII. Putat enim, post Carolingos primum quinque tantummodo in Germania extitisse Duces, qui sibi Archi-Officia ista statim vindicassent, hoc consilio: ut unus ex iis in Regem s. Imperatorem eligeretur, reliqui quatuor Archi-Officia administrarent, quæ primo ad certas, ut supra dictum, familias, postmodum vero ad certas terras fuissent adstricta.

§. XXXIV. Ex quibus facile potest concludi, sat amplum patuisse hæc Imperii Archi-Officialibus campum ad vindicandam sibi potestatem eligendi Imperatorem. Ut enim hoc taceam, quod multi Principes semeripso sensim electioni subdixerint, ob curtam, quæ ipsis domi erat, supellectilem, impensis, quas facere cogebantur in Electiones, natasque exinde turbas non sufficientem; ægre ferrent plurimi, plus sibi indulgere Officiales, initisque invicem factionibus tenuioris fortunæ Principibus obistere. Ipsi vero Archi-Officiales non desistebant interim potentiissimas quasque familias in suas partes trahere Imperatores ex iis eligendo, & persuadere populo atque nobilitati, in electione à suffragiis jam exclusæ: ad se tantum pertinere jus eligendi Imperatorem, tum propter utilitatem ad evitandas dissensiones; tum propter æquitatem, ut solatio quodam erigerentur, qui adeo gravia in imperii decus ac emolumentum sustinerent munera atque onera.

§. XXXV. Hinc expresse asserit *Abbas Stadenfis*: De *Secularibus* elegisse *Palatinum*, quia *Dapifer* fuerit, *Ducem Saxonie*, quia *Marschallus*, & *Marchionem de Brandenburg*, quia *Camerarius*. Scilicet obtinuerat jam persuasio, æquum esse, ad illos potissimum *Principes* spectare jus eligendi *Imperatorem*: qui maxima in *Imperio* obirent munera, maxima imperii sustinerent onera, maxima eminentem potentia, ut non modo eligere *Imperatorem*, verum etiam electum contra omnes efferorum insultus valide tueri possent.

§. XXXVI. Ante *Interregnum* quidem eo perducere res suas non potuerunt, ut plane excluderent reliquos: id quod ex testimoniis *Autorum* eodem tempore florentium patescit. Siquidem *Abbas Ursbergensis* de *Electione Friderici II.* citante *Conringio*, diserte scribit, Anno C. MCCXX. *Otto excommunicatus denunciatur*. Tunc *Principes Alemannie*, Rex videlicet *Bohemie* (qui paulo ante ex *Duce assumptus fuerat ab Henrico IV. ad Regnum*) *Dux Austriae*, *Dux Bavarie*, *Landgrafius Thuringie*, & alii complures *Conuenientes Fridricum Regem elegerunt*.

§. XXXVIII. *Interregni* vero temporibus, cum *Pontificum* rabies dempto, ut videbatur, sine fureret & baccharetur per miseram *Germaniam*: *Principes* vero suis non consilio, sed impetu susceptis electionibus contemptui sese atque indignationi populi exposuissent, dum modo ad *Henricum Rasponem*, modo ad *Conradum IV.* modo ad *Wilhelmum Hollandicum*, modo ad *Richardum*, *Regem Angliæ*, modo ad *Alphonsum*, *Regem Castiliæ*, modo ad *Ottocarum*, *Regem Bohemiæ*, fluxo ac instabili eligendi pruritu ferebantur; potentissimæ vero familiæ *Suevicae & Austriacæ* in *Conradino* atque *Friderico Neapoli* per summum nefas capite truncatis deficerent, egregia affulgebat *Electores* occasio, exclusis omnibus *Rudolphum Habsburgicum* Anno M CCLXXIII. ad *Imperatoriæ dignitatis fastigium* evehendi.

§. XXXVIII. Hanc suam potestatem ut firmarent atque roborent *Electores*, à *Rudolphi* temporibus ad *Carolum* usque IV. variis

riis obtinuerunt artibus. Ante omnia arctissimo sibi devincebant vinculo novum Imperatorem, dum tres ex Electorum numero, tres ex Rudolphi filiabus in matrimonium adsilcerent: postmodum vero hunc suum socerum in effreni Regis Bohemiae potentia coercenda desudantem amplissimis sublevarent subsidiis: ut igitur Rudolphus gratæ mentis, cui maxime erat deditus, studio magis confirmaret jus, quod Electores sibi vindicaverant, quam ut reluctari debuisset instituto, tranquillitati publicæ adeo proficuo.

§. XXXIX. Mortuo Anno MCCXCI, Rudolpho, Electoribus nova, eaque gemina potentiam suam firmandi atque ostentandi occurrebat occasio. Primum enim præteribant Rudolphi filium Albertum, diadema Adolpho, Comiti Nassoviensi, imponentes: partim ut prohiberent, ne rursus in unam recideret familiam Imperii Dignitas, partim ut ostenderent, se libera gaudere eligendi potestate, nec ullius Principis potentiam facile extimescere. Deinceps cum Adolphus Imperii opes veno quasi exponere videretur, turbisque, quæ Alberto vere Degeneri cum filiis suis intercedebant, temere se immisceret, Anno MCCXCII. ab Electoribus dignitate Imperatoria, ab Alberto autem Austriaco, cui deinceps Imperium deferebatur, vita privatus fuit.

§. XL. Alberto Anno MCCCII. per cruciatum trucidato, excludabant rursus Domum Austriacam, Henricum VII. Luxemburgensem ad tantum fastigium evehentes. Et quamvis subsequenti- bus temporibus una alterave tempestas ex internis dissidiis orta, nescio quid mali Augusto huic Collegio minitari videretur: DEUS tamen jam ordinaverat, ut ordinem hunc, universo Imperio maxime proficuum, hocce motu concuteret magis, quam affligeret, aut penitus everteret. Scilicet multum quidem detrahebatur Electorum authoritati & potentia, cum Henrico VII. Anno M. CCC. XIII. veneno in Italia sublato in duas abirent factiones, aliis pro Ludovico V. Bavaro, aliis pro Friderico Pulchro Austriaco in Germania exitium præfracte decertantibus. Inprimis cum Pontifices pro more suo

suo huicse certamini immiscerent, Ludovicum, qui superior discesserat, in Imperii præjudicium suo fulmine ferirent, cumque Electores ipsi ad novam electionem timore percussi provolarent, neque hac contenti, novas subinde instituerent: DEO tamen ita fortem dispensante prævaluit tandem Carolus IV. Nepos gloriosissimi Henrici VII. qui divino quodam motu tractus Anno M. CCC. LVI. in Comitibus Norimbergensibus Bullam vere Auream promulgabat, in qua præter alias laudabiles constitutiones non oblitus est Augusti hujus Collegii, cui potentiam eligendi Imperatorem firmissime confirmavit.

§. XLI. Hæc sunt B. L. quæ de potestate elegendi Imperatorem ad solos Electores restricta communicare tecum volui, solo ductus veritatis studio, nec aut obrectandi aut gloriosam aucupandi libidine accensus: quod si certiora habeas in Tua suppellectile de Electorum origine documenta, impertias illa candide obtestor; sin minus, hisce mecum ut utaris, ipsa, ad quam omnia collimare debent, dicat Veritas. DEUM vero veneror supplex, velit etiam in posterum suppeditare occasionem, unam alteramve superioribus studiis subducendi horam, qua ad amœniores hæc Musas Historicas subinde queam deflectere!

S. D. G.

---

### THEOREMATA.

- I. Historia non est res tam memoriæ, quam Judicii,
- II. Errant, qui statuunt, tantum posse quemlibet statum Imperii in suo territorio, quantum Imperatorem in Imperio.






ULB Halle

3

005 362 261







LUCUBRATIONS HISTORICÆ

De

POTESTATE ELI-  
GENDI IMPERATOREM  
AD SOLOS ELECTO-  
RES RESTRICTA,

Quas

Auspicante Divino Numine,  
Indulgente Amplissima Facultate Philosophica  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. 28. Febr. MDCCIII.

Sub PRÆSIDIO

M. JOH. HENR. ~~W~~erausens /  
Margl. Luf.

Civis ac Fautoris sui honoratissimi,  
Eruditorum ventilationi  
fistit

Heinrich Günther / Margl. Luf.

L I P S I Æ,

Recusa Typis Joh. Christoph. BRANDENBURGERI.

18.